



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij  
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones  
Lectissimorum Casuum**

**Diana, Antonino**

**Antverpiæ, 1645**

Iudex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41753**

beat pœnas. Suarez & alij 5. *ibid.*  
*ref. 18.*

*Iudex.*

1 **A**Duocatus potest esse Iudex in  
causâ cuius fuit patronus, etiam  
alterâ parte insciâ, modò sententiam  
ferat secundùm leges, nullo habito re-  
spectu ad affectionem carnalem. Cor-  
duba. *p. 3. tr. 5. ref. 56.*

2 Acta iudicis excommunicati non-  
tolerati sunt inualida. Suar. & alij 4. sed  
toleratus validè iurisdictionem exercet  
Suar. & Less. Ideoque iudicando non  
peccat nisi venialiter. Caietan. & alij 4.  
*p. 5. tr. 9. ref. 108. 109. & 131.*

3 Non tantùm in causis capitalibus,  
sed etiam in civilibus licet appellare à  
iudice inferiori, etiam si sententiam ru-  
lerit iuxta opinionem probabiliorem:  
Iudex enim superior ad quem appella-  
tur, potest iudicare secundùm opinio-  
nem probabilem, relictâ probabiliori.  
Turrian. & alij *p. 3. tr. 5. ref. 104.*

4 Iudex non peccat, si quando plures  
litigantes æquali iure temporis gau-  
dent, vnus causam ante alios expediat  
ex pacto oblato muneris; spectato enim  
iure naturali, non facit aliis iniuriam,



res tamen periculo non vacat. Layman. Norandum hinc obiter Iudicem secluso scandalo, & periculo iniustitiæ, posse accipere, nec teneri restituere id quod accepit à litigantibus, si datum sit instar muneris liberalis, ut maiorem solito diligentiam in causâ adhibeat. Lessi & Molina *ibid. res. 45.*

5 Si circa litem aliquam ea est varietas sententiarum, ut Iudici integrum sit utramlibet partem in iudicando sequi, non peccat contra iustitiam si aliquid ab unâ parte accipiat, ut in eius potius favorem iudicet. Quod tamen procedit tantum spectato iure naturæ, quando est questio iuris, non facti. Sed hæc iure positivo prohibita sunt. Lessius & alij 3. *ibid. res. 55.* sed nunc re melius consideratâ contrarium puto dicendum. unde tenentur restituere acceptum. *p. 6. tr. 6. res. 59.*

6 Licitum est aliquid donare concubine Iudicis, ut apud illum intercedat, quando negotium est graue, nec alia apparet via qua possis ius tuum obtinere. Castro P. & Hurtad. *p. 4. tr. 4. res. 138.*  
*et p. 5. tr. 7. res. 20.*

7 Iudex in sententiis ferendis, potest sequi opinionem probabilem, relictâ

pro-



probabiliori, etiam contra propriam opinionem, dummodò probabilitas sit circa ius, non verò circa factum; nam circa factum tenetur sequi probabiliorum. Castro-Pal & alij 19. Quando autem tam ex parte facti, quam iuris omnia sunt equalia, non potest rem applicare cui maluerit, (etsi quidam hoc doceant. Sancius & Ledesm.) sed debet vel dividere rem, cum divisibilis est; vel partes componere. Castrop. & alij 2. Imò in causis criminalibus Iudex opinionem probabilem in fauorem rei, relictam probabiliori, in fauorem fisci & accusatoris, non solum sequi potest, sed etiam debet: quia in criminalibus ad condemnandum reum, debent probationes esse luce meridiana clariores, ut habetur in *l. sciant cuncti. Cod. de probat.* Salas & alij 4. p. 2. tr. 13. ref. 3. & in *Addit. 3. p. ref. 13. & p. 6 tr. 8. ref. 17*

9 Iudex quamuis aliàs deberet officium deponere, non potest ad mortem damnare secundum allegata & probata reum, quem ex priuata scientia nouit esse innocentem Less & alij 3. Quando tamen ex depositione officij magna ei damnum obueniret, non teneretur illud deponere, sed posset ex pu-



blicâ notitiâ procedere p. 5 tr. 4. ref. 22.  
 9 Non possunt Proreges, vel alij sup-  
 premi iudices pro suo arbitrio reis  
 pœnam remittere, etiam condonante  
 parte, sed tantum ex graui causâ rei-  
 pub. utili; neque tunc pro eo pecuniam  
 possunt accipere, prohibente id rega.  
 Sanch. & alij. p. 6 tr. 6 ref. 1.

*Ecclesiasticus.*

10 **P**otest Iudex Ecclesiasticus cõsue-  
 tudine, & prescriptione acquirere  
 iurisdictionem in laicos, sed non con-  
 trà. Cochier. & alij. Quòd si sit dubium,  
 cuius sit iurisdictione, Iudex maior, id est,  
 Ecclesiasticus cognoscit. Sanch. & alij  
 5. p. 4. tr. 1. ref. 53. & 64.

11 Quæstio iuris circa decimas ad so-  
 lum Iudicem Ecclesiastic. pertinet. In  
 quæstione autem facti, Iudex laicus  
 competens erit; est enim mixti fori.  
 (Fagund. & alij 3.) Cognitio verò deci-  
 marum quæ secularibus in feudum da-  
 tæ sunt, solius est Iudicis Ecclesiastici.  
 (Azor. & Fagund.) Similiter & laicus  
 conductor decimarum apud solum Iu-  
 dicem Ecclesiastic. est conueniendus.  
 (Azor.) Itemque quando Clerici deci-  
 mas petunt à laicis, qui consuetudine  
 immemorabili eas numquam persolue-  
 rint.